



Forum Ecclesiasticum

In Quo Jus Canonicum Universum, Librorum Ac Titulorum Ordine Per Quæstiones Et Responsa, Tam Canonistarum Veterum & Recentiorum, quàm Legistarum, in iis, quæ Utrique Juri, Canonico Et Civili Communia Sunt, Authoritate stabilita, Methodo clara & facili explanantur

Leuren, Peter

Moguntiae, 1719

Quæst. 898. Superiores regulares circa irritanda vota suorum quid possint.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-73957](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-73957)

Idem est, dum vovens dubitabat, num vota à se emissa tempore inhabili, confirmata sint tempore habili; cum confirmatio, utpote quid facti non præsumatur. Cujus contrarium est, dum dubium est, num filius; servus, uxor habentes bona propria voverint Eleemosinam ex bonis propriis, quia præsumendum est, voventem se voluisse obligare firmiter, præsumendum est vovisse eleemosinam ex bonis propriis. Ita Castrop. n. 9. citatis Sanch. Suar. & aliis, hæc pluribus exemplificans, quæ vide. De cætero si superior de facto irritat votum, quod irritare non poterat, si veritas constaret, vel quia non est verus superior, vel quia votum fuit confirmatum, irritatio nulla est, quocumque tempore deprehendatur esto error suppleat jurisdictionem, non tamen dominationem. Castrop. n. 10. cum Sauch. cit. n. 32. n. 16. & Bonac. cit. d. 4. q. 2. p. 7. §. 2. n. 32.

5. Resp. quinto; potest fieri irritatio potestate delegata, absque eo, quod delegato communicetur dominium vel jurisdictione. adeoque tantum nomine alieno seu nomine procuratorio, & vices alterius gerentis, non ita contrahi potest matrimonium per procuratorem, etsi hic matrimonii contrahendi capax non sit, & procurator nomine domini contradicere alienationi factæ ex bonis ejus. Castrop. n. 11. cum Less. cit. c. 40. n. 133. Suar. cit. c. 7. n. 17. Sanch. cit. c. 24. n. 54. quietam n. 53. quod quando superior non vult per se irritare vota, possit illud per alium, dicendo se irritare illa vota, quæ alius tertius irritanda judicaverit.

Quest. 898. Superiores regulares circa irritanda vota suorum quid possint?

1. Resp. præter dicta q. penult. n. 1. & 2. primo: irritare non tantum possunt vota suorum, quæ eorum jurisdictionem & religionem gubernationem impediunt, ut censent Cajet. 2. 2. q. 88. a. 8. dubit. Palacios, Armil. & plures alii citati à Suar. quorum sententiam probabilem dicit Less. dum docent, religiosos non ita subiectos Prælati, quin possint aliquam obligationem regulæ statuique religioso consentaneam subire independentem à prælatorum voluntate; Verum etiam omnia alia eorum vota Azor. l. c. c. 17. q. 16. & 17. Suar. L. 6. de voto c. 7. n. 3. Sanch. L. 4. c. 33. à n. 4. Laym. l. c. c. 7. n. 6. concl. 3. Castrop. l. c. p. 8. n. 2. potuisse enim Pontificem ut melius religiosi gubernarentur voluntatem eorum ita subicere prælati, ut absque eorum consensu nihil firmiter voverent, extra dubium est, non secus ac qualibet respublica, ut immaturo pupillorum judicio provideret, sic eorum voluntatem parenti aut tutori subicere potuit, ut in eorum arbitrio esset, vota pupillorum firmare vel cassare, uti & contractibus suorum civium eas condiciones apponere, quibuscum & non aliter obligare persisterent. Quod autem Papa sic fecerit, probat praxis & usus religionum, ut Less. n. 75. Sanch. cit. c. 24. n. 30. Vasq. 1. 2. d. 165. c. 4. n. 29. Laym. Suar. Bonac. Castrop. LL. cit. Excipiuntur nihilominus vota statum religiosi constituenta, qualia sunt vota castitatis, paupertatis, obedientiæ, quæque statui illi annexa sunt, quale in societate est votum ingrediendi societatem; hoc est, suscipiendi gradum, qui præposito generali visus fuerit. Item votum solenne obediendi summo Pontifici, aliæque vota simplicia, quæ professi emittunt; hæc enim vota nullatenus irritare possunt Superiores regulares. Sanch. L. 4. c. 33. n. 5. Laym. l. c. c. 6. n. 7. assert. 3. Castrop. l. c. n. 3. Excipitur item votum ingrediendi re-

ligionem strictiorem, cujus executionem sicut impedire nequit prælatus, ita nec illud irritare potest. Nav. Consilior. L. 3. cons. 30. Less. l. c. n. 75. Laym. Castrop. LL. cit. Suar. L. 6. de voto c. 7. n. 9.

2. Resp. secundo: potestate hac irritativa gaudent omnes illi, quibus religiosus ob religionum statum subiectus est. Quales sunt Generalis, Provincialis, visitator provinciæ, prior seu rector collegii ut habet communis. Non vero vice-superiores, qui in societate vocantur Ministri; cum verè superiores non sint (etsi nomine superiores veniant) siquidem non nomine proprio, sed alieno imperant, & in virtute obedientiæ præcipere nequeunt, nec à peccatis absolvere, nisi quando Prælatus à loco conventus abest. Quamvis tamen sæpe executionem voti impedire possint, occupando subditum, qualiter eum occupare possent, si nullo voto obstrictus esset. Ita Sanch. l. c. n. 16. Suar. l. c. n. 17. Castrop. n. 5. Quod spectat Abbatissas & Priorissas, absolute negant illis potestatem irritativam votorum; cum ea non egeant, dum moniales habent Prælatos regulares, quibus subijciuntur, ac insuper jurisdictione spirituali careant, ut alii relatis Sanch. L. 6. Sum. c. 1. n. 27. Plures contra absolute iis concedunt eandem potestatem irritativam, quam habent Prælati respectu suorum religiosorum; eo quod illis non secus ac aliis Prælati emittatur votum obedientiæ. Ita Suar. cit. L. 6. c. 7. in fine. Sanch. L. 4. de voto c. 33. n. 19. Less. l. c. n. 133. Sayr. L. 6. c. 10. n. 13. apud Castrop. n. 7. qui tamen ipse cum Azor. l. c. c. 17. n. 3. in fine. Probabilis putat posse eas irritare sola vota, quæ respiciunt materiam concernentem domesticam & politicam gubernationem in Ordine ad bonum temporale, utpote quæ sola gaudent.

3. Resp. tertio: tametsi vota novitorum Prælati regulares irritare non possunt; quia adhuc sunt sui juris, & nulli ex voto obedientiæ subiecti, ut cum communi Nav. in sum. c. 12. n. 65. Azor. l. c. q. 20. Less. l. c. n. 80. Sayr. l. c. n. 15. Suar. l. c. n. 11. Laym. l. c. c. 7. n. 9. Sanch. L. 4. c. 33. n. 28. Castrop. l. c. n. 10. Possunt tamen omnia eorum vota suspendere, quæ onera religionis & novitatus difficiliora reddunt, ne ob hanc difficultatem minus apti religioni judicentur, & ipsi religio displiceat Sanch. n. 32. Laym. Less. LL. cit. quin &, ut Castrop. cum Sanch. n. 37. Sayr. & Less. LL. cit. Si vota eorum nimis aggravent onera religionis, sive per se, sive ratione subiecti, ipso jure suspensa erunt, utpote impeditiva boni, nempe liquidi religionis experimenti. Imò qualibet vota tam personalia quam realia posse ac ipso novitio commutari in opera & exercitia novitatus determinata nempe in has penitentias & orationes, asserit Castrop. ita tamen, ut delerens religionem obligatione prioris voti obstringatur; cum credendum sit illum pro eo tempore tantum commutationem fecisse.

Quest. 899. Qualiter parentes irritare possint vota filiorum & qui in ordine ad hoc veniant nomine parentum & filiorum.

Resp. præter ea, quæ de hoc dicta quest. antepenult. potest pater vota omnia sive realia, sive personalia filii impuberis, etiam si doli capax irritare; cum ea aliter emitti non poterint, quam sub beneplacito patris; jure sic disponente, fuit